



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Mechlinia Illustrata Luce Miraculorum S. Francisci Xaverii
Orbis Utriusque Solis Ac Thaumaturgi Chronicis Distichis
evulgata Anno M.D.C.LXVI.**

Grumsel, Gérard

Mechliniae, 1666

Qvarta. Judocus Houbraken Ecclesiæ Cath. Antverpiensis Canonicus, &
Episcopatus Sylvæducensis vacantis Vicarius generalis Omnibus has
visuris salutem in Domino.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13399

Judocus Houbraken Ecclesiæ Cath. Antverpiensis Canonicus, & Episcopatus Sylvæducensis vacantis Vicarius generalis Omnibus has visuris salutē in Domino.

Inter indubitata veræ Ecclesiæ signa, miracula sunt, in infidelium ad fidem conversionem, & fidelium in eadem confirmationem quandoque patrari solita. Eximie iis claruit in vita, & post mortem S. FRANCISCUS XAVERIUS è Societate JESU Indiarum, ac Japoniarum gloriosus Apostolus, quem miraculosum, ac beneficium Brachium suum, cujus particula aliqua Mechliniæ in templo Societatis JESU publicæ venerationi est exposita, etiam ad subditos nostros extendisse intelleximus. Quod ut certius constet, hæc testatum facimus, segillatim inquisivisse nos, & inquiri curasse in liberationem à maligna febre, subitamque virium instaurationem, quam ejus beneficio filia quædam in Diocesi nostra Sylvæducensi, hoc, qui subjungitur, modo est consecuta.

Cum Anno 1662. Bredæ pestis grassaretur, laboranti illic fratri adstitit N. N. Villica è territorio Sylvæducensi. Domum rediit, & ipsa cœpit Malignâ febre laborare, & maritum, filios duos, ac filiam Catharinam 22. annos natam infecit. Matre primum, ac mox Patre malignitate morbi sublatis, & fratribus subinde eadem correptis, Catharina inde à 26. die Julii usque ad 23. Augusti ita continuatis ejusdem ardoribus est exhausta, ut viribus, ac mente tandem etiam destituta, cum nullum superesset in arte remedium, vitæ ulterioris spem denegarit expertus Chirurgus, qui scripto hæc, quæ narramus, inter alios juratus iteratò confirmavit. Indubitata opinio erat inter amicos, ac vicinos pestiferâ lue domum infectam. Non erat itaque, qui solatium ægris, qui necessarium obsequium præstaret. Non deseruit tamen desertos ab omnibus suis Pastor confusus per merita, & intercessionem S. FRANCISCI XAVERII, & ægros liberandos à morbo, & se à contagione servandum. Cum ergo Catharinam sub seram vesperam sacrâ unctione munivisset, eodem vespere regressus S. FRANCISCI XAVERII imaginem atulit, quæ sacris ejus Reliquias Mechliniæ

R

Mira-

Miraculis claras attigerat, & *Catharina* maximiè periclitanti per fratrem offerens, omnes ad fiduciam in Sancti illius intercessione apud Deum locandam excitavit. Jam quartum, quintumve diem jacuerat *Catharina* impotens se movère, oblatam imaginem arripuit, & osculta est magnâ cum fiduciâ, quam ut porrò per noctem foveret Pastor adhortatus, domum se recepit. Insequente die bene mane, nemine opitulante, nemine conscio vestibus se suis induit, lecto eripuit *Catharina*, & ædes inambulavit. Quin & in campum illo ipso die egressura fuit, pabulumque jumentis quæsitura, nî fratres continuissent: postridie reipsâ quæsivit: cumque D. Pastor ædes interea ingressus vel mortuam vel animam agentem in lecto quærit adest illa ad fores ingenti onusta corbe, pabulumque in agro collectum infert. Hæsit attonitus Beneficii novitate D. Pastor: mox increpuit, quòd tam temerè cæli se, solisque injuriis, ac recidivæ periculo commisisset; fidenter illa: sollicitudinem mitte, inquit, nihil periculi subest, ab hesterno mane me Sanctus ille perfanavit, ac viribus restituit.

Hæc omnia cum ad nos fuissent in legitimo instrumento delata: cui D. Pastor, ipsa Catharina, Chirurgus, fratres duo, alique consanguinei, & vicini jurati subscripserant: constituimus primùm Commissarium in partibus illis virum probum, & intelligentem, qui postquam in omnia nostro nomine inquisivit, iteratoque, interpositâ jurissurandi fide, eadem ex Catharina intellexit, omnia suâ etiam signaturâ firmavit: deinde nos ipsi coram hîc Antverpiæ prædictam Catharinam in præsentia sui Pastoris omnium conscii examinavimus, & sub eadem religione sic omnia accidisse comperimus. Quibus compertis cum etiam nobis submissa scripto fuissent expertissimorum Medicorum Judicia, hæc super re consultorum, Tungrensis, Bruxellensis, ac præsertim duorum primariorum Doctorum, ac Medicinæ Professorum, aliorumque duorum celeberrimæ Academiæ Lovaniensis unanimiter consentium, istam virium restaurationem naturæ vi tam exiguo temporis spatio obtineri non potuisse; ut nihil non ritè, ac juxta Concilii Tridentini placita perageremus, viros doctos ac Theologiæ peritos consulimus, ac coram, & cum iis iterum prædictam Catharinam audivimus, omnibusque tandem co-
tam

ram Deo maturè consideratis, decernendum post longam, & sæpius iteratam inquisitionem putavimus, prout per præsentem decernimus, posse dictæ Catharinæ sanationem tamquam miraculosam, & per merita Sancti FRANCISCI XAVERII à Deo factam, & impetratam censeri, & publicari; & ut talem publicamus & censere nos testamur: Auctorem omnium Deum rogantes, ut sicut Indiarum gentes Sancti FRANCISCI XAVERII dum vixit, prædicatione, & Miraculis Ecclesiæ suæ aggregare voluit, ita modo hisce in partibus ejusdem Miraculis, & intercessione fideles populos velit in eadem conservare, & confirmare; eosque, qui quovis errore ab eâ segregati sunt, ad eandem benignè reducere. In horum omnium fidem hæc manu propria signavi, & Vicariatus nostri sigillo muniri curavi. Die XIX. Mensis Martii, Anno Domini 1664.

Locus * Sigilli.

J. HOEBRAKEN

APPROBATIONES BENEFICIORUM

§. I.

ANDREAS Dei, & Apostolicæ sedis gratiâ Archiepiscopus Mechliniensis Omnibus has visuris salutem in Domino, Cum in dies clarescant plura, ac plura Beneficia quæ divina manus largè conferre dignoscitur ad sacras Reliquias de Brachio dextero magni Indiarum Apostoli S. FRANCISCI XAVERII in templo Societatis JESU Mechliniæ fidelium venerationi, nobis approbantibus expositas, de iisque per Revend. Admodum Dominos Commissarios ad hoc deputatos legitime sint captæ informationes: Nos per eos debite informati (quamquam non dubitent quin complura Miraculis à nobis merito adscribi posse viderentur) maturiori adhuc examini illa cum aliis referantes neque certi quidquam in præsentiarum decernentes, vulgari typis omnia dumtaxat permittimus, in fide bonâ eorum, qui se à S. FRANCISCO XAVERIO accepisse apud suprascriptos Reverendos Admodum Dominos Commissarios legitime deposuere, ut videant omnes non esse abbreviatam manum Domini, quin salvare possit, etiam in particula Brachii Servi sui: adeoque incitentur ad divinam ejus misericordiam per Sancti sui intercessionem ferventiùs implorandam, & feliciùs consequendam. Datum Mechliniæ die decimâ sextâ Mensis Februarii, Anno Domini 1662.

Locus * Sigilli.

ANDREAS Archiepiscopus Mechliniensis